



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

5. Vocatis nobis, &c. Bulla, de Treugis inter Regem, & Robertum de Brus
ineundi: anno 1317.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

publicè singulis diebus Dominicis & Festivis, pullatis campanis, & extinctis candelis, ubicumque vobis expediens esse videbitur, publicè nunciatis, oportuna auctoritate prædictâ gravius contra eos prout eorum inobedientia, & facti qualitas suadebit. Volumus insuper, vobisque mandamus, ut de personis, quæ sint, vel fuerint in hac parte culpabiles, inquiratis cum diligentia veritatem, & quos, per hujusmodi inquisitionis indaginem, reos inde comprehenderit, sic prout justum fuerit, eadem auctoritate canonicè puniatis, quod & ipsi talia se commisit peccent, & alii exemplo terri, præsumere similia pertimescant. Nos enim vobis & vestrum cuilibet præmissa omnia, & singula faciendi plenam & liberam concedimus, tenore præsentium potestatem. Non obstante si aliquibus, vel alicui, aut eorum ordinibus specialiter, vel generaliter à sede præfata indultum existat, quod excommunicari, suspendi, vel interdicti non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi, ac de propriis Ordinibus, locorum, & Personarum ipsarum nominibus mentionem; & quibuslibet literis, privilegiis, & indulgentiis, generalibus, vel specialibus, quibuscumque dignitatibus, ordinibus, personis, & locis sub quacumque forma, vel conceptione verborum à dicta sede concessis, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus eorum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum mentionem in nostris litteris fieri oporteat specialem. Datum Avinion. quarto Idus Aprilis Pontificatus nostri anno primo.

v.
Ibid. p. 635.

Bulla, de Treugis inter Regem, & Robertum de Brus incundi: anno 1317.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Gualterino, Tituli Sanctorum Marcellini & Petri, Presbytero, & Luca, Sanctæ Mariæ in Via lata, Diacono, Cardinalibus, Apostolica sedis nunciis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Vocatis nobis, licet insufficientibus meritis ad Apostolatus Officium occurrit, quasi contestim considerationis nostræ conceptui, acerbis infesta molestiis periculosa dissentio, quam inter carissimum in Christo Filium nostrum Eduardum Regem Angliæ illustrem, & dilectum filium, nobilem Virum, Robertum de Brus gerentem se pro Rege Scotiæ, jam dudum Incentor malorum omnium suscitavit, amaras nobis, suas circumstantias, quas frequenter, dum nos minor status haberet, intra pectoris claustra revolvimus representans. Hinc etiam se offerebant, & offerunt nostris obtutibus impedimentum proinde facile receptura pia Dei negotia, & præcipue Terræ Sanctæ, desertæ incolis Christi fidelibus, ipsorumque destitutæ suffragiis, cui Catholicis Principibus distractis ad Bella Civilia, Consolator aliquis non assistit ex omnibus caris suis. Hinc se ingerebant, & ingerunt animarum pericula, Christiani sanguinis non levis effusio, gravia rerum dispendia, & non solum ipsorum dissidium, suarumque Gentium, sed & quamplurimum aliorum, in ipsorum commotione,

periculosa turbatio pariter & damnosa. Hac quidem nostri cordis intima stimulant, acutisque stimulis nostrum interpellant Officium, ut ad occurrendum, per oportuna remedia, tanto Religionis Christianæ discrimini ocus exurgamus. Attendentes igitur quod ad nos, qui licet immeriti, Vices Regis Pacifici gerimus, ac plenitudine fungimur potestatis, Apostolorum Principi, suisque successoribus ex alto concessæ singulariter pertinet in Universali Ecclesia cunctave Congregatione fidelium, pacem quærere, ac ipsam facere diligentius reservari. Ut vobis, quod ad Angliæ & Scotiæ Regna, ac Hiberniæ & Valliæ partes, pro tractanda & reformanda concordia inter Regem & Nobilem ante dictos, tanquam pacis Angelos destinamus ad id, juxta nostrum desiderium, via eo paratior, eoque facilius pateat quo, Rex & Nobilis ante dicti, ac partium ipsarum incolæ minorum dissidiorum turbine quatiuntur, inter Regem ipsi, complices, fautores, valitores, Consiliarios ejus, ac adherentes ei ex una parte, & præfatum nobilem, complices, fautores, Valitores, & Consiliarios ejus, ac adherentes ei ex altera Treugas, quarum sædus, pacis inducit imaginem auctoritate nostra inducendi, usque ad biennium duraturas, de quo & prout videritis expedire, ac omnium & singularum, Treugas ipsarum infringentium aut quomodolibet non servantium personas, excommunicationis sententias promulgandi. Non obstante si eis, aut eorum alicui, sub quacumque forma vel modo verborum sit indultum quod excommunicari, vel eorum Terræ Ecclesiastico interdicto supponi non possint per litteras sedis ejusdem, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem & quælibet alia dictæ sedis indulgentiæ generali vel speciali cujuscumque tenoris vel expressionis existat, per quam effectus præsentium impediri possit, vel quomodolibet differri. Treugas hujusmodi, sic indictas, & excommunicationis, ac interdicti sententias promulgatas ubicumque, & quibuscumque vobis expedire fore videbitur, per vos, vel alium seu alios notificandi ac solemniter publicandi. Et nihilominus omnes & singulas Commissiones, obligationes, confæderationes & colligationes, super hujusmodi dissensionibus, seu discordiis nutriendis, inter quoscumque, & à quibuscumque quomodolibet initas, vel inendas, veluti contra bonum pacis assumptas illicite, & attentatas in divinæ majestatis offensam, & quascumque pœnas, adjectas vel adjiciendas, ac juramenta, præstita vel præstanda, super illis, sub quibuscumque, forma, modo, vel expressione verborum, præsertim cum juramentum vinculum iniquitatis esse non debeat ex nunc nulla fore decernimus, & quatinus de facto processerint, irritamus, nulla & irrita nunciandi, plenam & liberam vobis & vestrum cuilibet concedimus tenore præsentium facultatem. Datum Avinion. Calendis Maii Pontificatus nostri anno primo.